



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Status controuersia cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ARTICVLVS II.

Virum sacra doctrina sit scientia.

2.
3. dist. 33. q. 1.
art. 2. q. 4.
Et 1. Sent.
Pr. lart. 3.
q. 1. Et veri.
q. 4. art. 9.
3. Et B. etri.
q. 2. art. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod sacra doctrina non sit scientia. Omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis: sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur: non enim omnium est fides, ut dicitur 2. Thessalon. 3. Non igitur sacra doctrina est scientia.

2. Præterea. Scientia non est singularium; sed sacra doctrina tractat de singularibus, puta de gestis Abraham, Isaac & Jacob, & similibus: ergo sacra doctrina non est scientia.

Lib. 14. c. 1. à medio 1000 3.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 14. de Trinit. Huic scientie attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Hoc autem ad nullam scientiam pertinet, nisi ad sacram doctrinam: ergo sacra doctrina est scientia.

10. Respondeo dicendum, sacram doctrinam esse scientiam. Sed sciendum est, quod duplex est scientiarum genus. Quædam enim sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, & huiusmodi. Quædam verò sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ: sicut perspectiua procedit ex principiis notificatis per Geometriam, & Musica ex principiis per Arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum. Vnde sicut Musicus credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita doctrina sacra credit principia reuelata sibi à Deo.

In eod. art.

Ad primum ergo dicendum, quod principia cuiuslibet scientiæ, vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ: & talia sunt principia sacre doctrinæ: ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur, tum in exemplum vitæ, sicut in scientiis moralibus; tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum, per quos ad nos reuelatio diuina processit, super quam fundatur sacra Scriptura, seu doctrina.

Conclusio articuli, *Theologia nostra, seu sacra doctrina est scientia.* Probat Sanctus Thomas, quia ea, quæ procedit ex principiis notis lumine scientiæ superioris, vere potest dici scientia: sed Theologia nostra procedit ex principiis notis lumine

ARTIC. II.

Beatorum, quod est superioris scientiæ, ergo vere scientia dici potest.

DISPUTATIO IV.

An Theologia sit vere & proprie scientia.

Status controuersie, cap. 1.
Opinio Francisci de Marchia, cap. 2.
Quid senserit Henricus, cap. 3.
Sententia Caietani, cap. 4.
Opinio Alberti, & Thomistarum, cap. 5.
Theologiam viatorum non esse proprie scientiam, auctoritate probatur, cap. 6.
Ratio, quæ ab aliis hæc opinio probari solet, cap. 7.
Optima ratio postrema sententia, cap. 8.
Respondetur argumentis aduersariorum, cap. 9.

CAPVT I.

Status controuersie.

Difficultates, quæ tractari solent in hoc articulo, non tam ad Theologum, quam ad logicum spectare videntur, huius enim proprium munus est tradere instrumenta, vel modum sciendi, & demonstrandi, idcirco ipse ex professo tractat de natura, & proprietate scientiæ, & demonstrationis, quæ est proprium instrumentum sciendi, imo huc præcipue spectat tota logica doctrina, nempe ut tradat modum construendi demonstrationem. Logicus quidem non signat, nec determinat hanc, vel illam materiam, sed formam describit, quæ cuiuslibet materiæ possit accommodari, & in ea assensum scientiæ gignere, sicut architectus, qui in vili aliqua re format ideam domus ædificandæ, ex qua in pretiosiori materia, alia exprimitur. Tractare ergo, an Theologia sit scientia, ad logicum proprie pertinebat, qui cognita natura, & qualitate principiorum, quæ Theologus assumit, videlicet, qualiter ei nota sint, & perspecta forma syllogismi, quo ex illis colligit conclusiones, facile definire possit, an sit proprie scientia, & veræ scientiæ instrumenta habeat. Verum quia aliquid etiam in his questionibus in disputationem veniet, quod ad Theologum spectat, & ne statim in principio difficultates effugere videamur, ea, quæ ab aliis Theologis in hoc articulo disputata sunt, examinare decreuimus.

Est igitur difficultas, Num Theologia sit vere, & proprie scientia. Theologiæ autem nomine non intelligimus quamcunque de Deo notitiam, sicut enim & fides dici posset Theologia. Neque ea intelligitur, (inquit Durandus) qua quis nouit, quæ traduntur in sacra Scriptura, explicare, & defendere, sicut videtur vltimasse Augustinus 14. August. de Trinit. cap. 1. Sed nomine Theologiæ significamus scientiam, qua quis ex principiis in Scriptura reuelatis, vel Conciliorum auctoritate, aut Ecclesiæ traditione firmatis, & creditis, infert alias veritates, & conclusiones, per euidenter consequentiam. Quo pacto magis communiter capitur Theologia, ut fateatur Durandus, quæst. 1. Prolog. num. 8. sed non tam verè, inquit ille, id quod quæ ratione rectè dici possit, non video. Quinimo hæc videtur eadem cum ea, de qua loquitur Augustinus eo loco: qui enim defendit principia nostre fidei contra hereticos, debet hoc ipso ex principiis fidei optime deducere conclusiones ut contra Apollinaritas, qui negant in Christo humanam voluntatem, colligere debet hoc modo: In Christo fuit vera humanitas, sed humanitas prædicta

dita est voluntate: ergo in Christo fuit humana voluntas. De Theologia igitur hoc modo accepta, non ut veritatur in explicatione principiorum, sed ut procedat elicienda conclusiones, controuersia est, utrum sit vere, & proprie scientia, an non.

CAPVT II.

Opinio Francisci de Marchia.

Franciscus de Marchia.
Sic ergo intellecta hac quaestione, prima opinio est, quam refert Gregorius in 1. q. Prologi art. 4. & Okam. q. 3. cuiusdam Francisci de Marchia, quem aliqui referant esse Maironem: sed reuera non est hic enim oppositum docuit, ut infra dicemus. Dicebat itaque Theologiam esse vere, & proprie scientiam, eo quod supponebat, principia illius, quae sunt articuli fidei, esse per se & euidenter nota, ita ut illorum habeatur intellectus, sicut etiam principiorum naturalis scientiae: ob id tamen non negabat fidem diuinam esse necessariam ad assensum. Fundamenta huius sententiae praetermittit, quae fufius refert Gregorius: ea enim finiola sunt, & nullius momenti. Hanc opinionem multis refellunt Okam, & Gregorius loc. cit. ea parte, qua dicit omnia Theologiae principia, quae in Scriptura, aut alio modo nobis tradita sunt, esse per se, & euidenter nota. Potest autem vel hac sola ratione impugnari. Nam praeterquam quod, ut ostendimus disput. 135 in hac vita haberi non potest euidentia mysteriorum nostrae fidei, imo neque a Deo communicari, nisi sit intuitiua, & beatifica, quis non videat Trinitatis mysterium, quod naturale Deo est, tum & mysterium resurrectionis futurae, quae ex sola Dei voluntate pendet, non esse alicui viatori per se, & euidenter notum? Deinde si mysteria fidei ita essent nota, non videretur necessaria fides ad assensum. Ut enim ostendimus 2. 2. quaest. 2. artic. 4. quamuis cum aliqua scientia euidenti, quae habeatur per alienas species fides esse possit, cum notitia tamen euidentium eorum, quae per se nota sunt, esse nequit: eadem prorsus ratione, qua neque cum euidentia mathematica esse potest. Quod enim per se euidenter notum est, non minus euidenter erit, quam conclusio quaelibet mathematica. Et sane in eo, quod supponit opinio, erroris notam meretur: cum dicat Paulus. 1. ad Corinth. 13. videret nos in hac vita per speculum, & in aenigmate, 2. ad Corinth. 5. & 2. ad Corinth. 5. per fidem ambulare, non per speciem. Ceterum si verum esset, quod supponit opinio, absque dubio Theologia nostra vere, & proprie esset scientia, ut sequenti capite probabitur. Superest igitur cum alijs Scholasticis controuersia, an sit vere & proprie scientia, quatenus procedit ex principijs sola fide creditis.

CAPVT III.

Quid senserit Henricus.

Henricus.
Secunda sententia est Henrici in Summa art. 6. quaest. 1. & quodlib. 12. q. 2. Qui docet Theologiam duobus modis a viatoribus haberi posse, vno modo: ex principijs sola fide creditis; altero, ex eisdem euidenter notis, non dicit per se, sed euidenter notis: quod putat fieri posse exercitio, & studio ipsius fidei. Haec enim (inquit ille) primum proponit mysteria obscure credenda; deinde peruenire possumus per studium fidei ad euidentem intelligentiam eorum. Hanc verò euidentiam, quam existimat discursu generari, inquit

Vazquez in 1. partem Tom. I.

non esse visionis, quam vocant intuitiuam, sed inferiorem, & quae possit esse simul cum assensu obscuro fidei. Videtur ergo supponere, posse esse hanc euidentiam non quidditatuam, & propriam, sed per alienas species, sicut habemus in via de Deo. Dicit itaque, si Theologia habeatur priori modo, non est vere, & proprie scientia: si vero contingat posteriori modo, erit vere & proprie scientia. Priorem partem probat ratione communi, quam infra pro sententia nostra referemus, in ea namque nobiscum conuenit Henricus. Posterior vero sic probatur: quia tunc bona consequentia ex illis principijs euidenter notis, erit vere & proprie demonstratio, aut *Quia*, aut *Propter quid*, generans aliquam euidentiam conclusionum: Erit ergo Theologia eo modo proprie scientia; de cuius ratione est euidenti demonstratione generari.

Durand.
Hanc opinionem impugnat Durand. in 2. q. Prologi. Primum in eo, quod asserit mysteria nostrae religionis, quae fide sola credita sunt, in hac vita fieri posse nobis euidentia, de quo dicemus infra disput. 135. & 2. 2. quaest. 1. artic. 5. quinimo ostendimus, de potentia absoluta fieri non posse nobis euidentia, nisi sola notitia intuitiua, in qua beatitudo nostra consistit. Nunc saltem sufficiat supponere, exercitio solo fidei, & labore, non posse nobis fieri mysteria euidentia: quo supposito Theologia viatoris ex sententia etiam ipsius Henrici, non erit, vere & proprie scientia.

Secundo probat Durand. etiam si principia fidei fierent euidenter nota, Theologiam non fore vere, & proprie scientiam, ut contendit Henricus: nam qui potius assentitur alicui propositioni propter auctoritatem dicentis, quam propter quamcunque euidentiam rationis, ita ut auctoritate cessante, vel non assentiretur, vel saltem non assentiretur eodem modo, non dicitur habere scientiam, eo quod assensus scientiae ratione euidenti potius, quam alia via deducitur. Sed ille, qui in doctrina fidei, exercitio illius, peruenit ad euidentiam articulorum, se haberet hoc modo, ergo virtute talis euidentiae non posset vere habere scientiam conclusionum Theologicarum. Tertia ratio, qua Durand. adducit, ad hoc solum tendit, ut probet, non posse haberi intellectum articulorum fidei, sicut habetur principiorum in aliqua scientia, de quo modo non disputo, sed disputatione illa 135 dicendum est.

Ceterum secunda ratio Durand. non probat id, quod proposuit. Si enim articuli fidei alicui fierent euidentes, siue per se, siue per aliud, conclusio, quae ex illis per euidentem consequentiam colligeretur, esset vere, & proprie scientia, quia illius esset euidentis assensus per discursum. Primum quidem, si articuli essent euidenter noti a posteriori: nam in scientia subalternata ex principijs indictione solum, & a posteriori euidenter notis inferretur conclusio scientiae. Deinde si articuli essent euidenter noti a priori, siue per se, siue per alia principia, scientia etiam a priori, & propter quid ex illis colligeretur: optimè ergo inferebat Henricus Theologiam tunc fore vere, & proprie scientiam, quando quis ex art. euidenter notis euidentes quoque conclusiones inferret. Quod verò dicebat Durandus, necessarium esse ratione demonstrationis praecipue assentiri conclusioni, ad hoc, ut illius habeatur scientia, verissimè est. At in casu illo, etiam

5.

Durand.

Intriuu solo sunt euidentia mysteria fidei.

6.

Ratio Durandi examinatur.

P.

etiam